



LVtharius & Lonorius ex ijs procreati fuerūt qui olim cum Brennone duce Macedoniam & Græciam uastarunt, atque à Delphijs reiecti, apud Dardanos, qui à tergo Macedonię uersus Panoniam adiacent, confederant. Cum itaq; ibidem Anno mundi circiter 3710, seditio inter Gallos orta esset, uiginti millia hominum cum Luthario & Lonorio regulis secessione facta in Thraciam iter auerterunt. Huius terrę accolas cum aliquandiu stipendiarios habuissent, Byzantium usq; progressi, omnem Propontidis oram sibi uectigalem fecerunt. Tum quoq; Lysimachia capta ac cum ea tota Chersonesus subacta. Inde ad Hellepontū descen-

dere. In eo loco Asiā ex pximo intuiti, quā angustū fretū 7 stadiorū ab Europa dirimebat, audita terrę feracitate, cupido animū incessit in aduersam terrā transiēdi. Hic noua rursus seditione turbati Lonorius cū parte copiarū retro Byzantiū reuersus est. Lutharius uerò q; insigni prudētia & fortitudine erat præditus haud ab incepto deterritus copias traiecit, duabus tectis nauib. & trib. lembis usus, quos Macedonibus ademerat, Legatorum pretextu ad speculanda Gallorum consilia ab Antipatro missis.